DEO OPTIMO MAXIMO UNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ,

ET SANCTO LUCÆ ORTHODOXORUM MEDICORUM PATRONO.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORUM, DIE JOVIS IX. DECEMBRIS. MDCCXVII.

M. JOANNE BAPTISTA FAUSTO ALLIOT DE MUSSAY, DOCTORE MEDICO, PRÆSIDE.

An Morbus Antiquus Syphilis?

HOMINEM, si structuram & artificium spectes, naturæ gaudentis opus: si morborum iliadem, novercantis ludibrium, dixeris. Vix spiritum cœpit ducere, ipsum undique circumveniunt offendicula; suos quælibet ætas deinceps perpessura manes. Adhuc à matre rubentis pulmones tussis ferina quatit, palpitans vertex deturpatur achoribus. E suis erumpunt alveis dentes: Quantâ dolorum accessione? non cantu, non cunarum oscillatione recreatur puer, sed tusses, & alvi profluvia tenellum exercent pusionem. Ut primùm pubertas venit, intestina pungunt lumbrici, vesicam dilacerat carnifex calculus; suos etiam patitur adolescentia morbos, Epilepsiam, Variolas puellis infensas, matribus detestatas: juvenibus lethargus accidit, lateris, pulmonumque inflammationes; senes tandem exercent spirandi difficultas, destillationes, visûs, auditûsque hebetudo. Adeò verum totum esse hominem à naturâ morbum? Hi sunt ipsius hostes reconditi, hæc latent in corpore morborum & mortis germina. Verùm extrinsecùs, quot ruunt in ejus perniciem pestes acerrimæ? cibi, potûsque ingluvies, fida Medicorum nutrix, amores incesti, in quos de tenero ruit ungui fœcunda culpæ juventus, tempestatum, regionumque varietas; aër præcipuè universalium causarum, ut prima, sic & potentissima. Ab hoc vitiato morborum clades in populum catervatim derivant. Quid mirum? aër, solemnes caloris, & frigoris patitur vices. In hyeme frigidior, vere maturatur: per æstatem fervet, in autumno modò intensè calet, modò subitò refrigeratur. Hinc innumerabiles pullulant morbi; horum principes Epidemii verni & autumnales. Tantùm potest inquinatus aër malorum afferre? Suos habet etiam unaquæque regio morbos Endemios. Hispaniam infestat Struma, Poloniam plica; Scorbutus littoris maris Baltici, Bronchocele Alpinarum regionum incolas. Morbi quoque alii *Chronici*, alii Acuti, quorum vel cita mors, vel victoria. Idipsum etiam mirabile, alios in nobis durare, alios desinere, alios renasci, crudeliùsque sævire. Nonnulli certis sæculis occidunt, ut *a* Gemursa Plinii, nonnulli de novo prodeunt, quasi parùm essent homini certa morborum genera, nisi etiam nova timerentur. Quin & multi extincti jacent morbi, quidam hodiè repullulant, quidam vigent Veteribus incogniti, quidam prætermissi, quidam ab ipsis ita tractati, ut omnia describpserint symptomata morbi, signum tamen pathognomonicum nunquàm assignaverint.

a Plin. l. 26. cap. 1.

UT quidam morbi primo intuitu similes, reipsà tamen diversi: sic, idem morbus nonnunquàm sub diversis offert se typis, aliorumque larvam induit. Colicus dolor, nephriticus, hysterica passio, syncopè; Cataphora, lethargus; Rheumatismus, Venerea lues; suâ sæpè similitudine decipiunt; àt essentiâ, ut & curandi ratione differunt. Alii contrà morbi, symptomatum varietate, nec essentiâ, nec curationis methodo dissimiles. Dubitas? Ad febres attende intermittentes; modò Hemicraniam, modò somno gravi, stupore, aut stertore, Apoplexiam simulant. Quandoquè Colicam affectionem, Plevritidem acutissimam, Rheumatismum universalem particularemvè, *Scarlatinam* febrem, aut Erysipelatosam mentiuntur. Sic multâ arte genium aliquandò dissimulant suum febres intermittentes. Ab eo se labyrintho expediat Artifex sagacissimus? Signis non luditur communibus: Pathognomonicorum ope morbi essentiam perscrutatur. Hanc ex statis paroxismorum & intervallorum periodis, aut ex periodicâ horum symptomatum exacerbatione, & remissione, aut ex urinis, aliisque deprehendet signis, & certò dignoscet. Arthritidis verò, quàm variæ, quàm diversæ metamorphoses? Illa sæpè inscrutabili signorum obscuritate, & vago symptomatum concursu detegi vix potest. Nullus est morbus æquè πολύτροπος, æquè πολύσχημος: ventriculo nauseam, intestinis tormina, nephritida renibus, anginam faucibus, pulmoni tussim, nervis paralysim infert; præ se modò fert Melancholiæ, Phtiseos, Erysipelatis modò aut Odontalgiæ similitudinem. Hæc Arthritis hodiè anomala dicitur, sicque ab Arthritide genuina distinguitur; novum nomen, non morbus ideò novus. Novos-nè etiàm dixeris morbos, simulatos illos affectus, qui sub typis Hystericæ passionis, aut mali Hypochondriaci sæpè se se offerunt? Quamcunque corporis partem morbus insederit, symptomata ipsi consona confestim infestant. In capite Apoplexia, clavus Histericus ægram miserè excruciant; cordis palpitationem, Colicum dolorem, aut urinæ suppressionem æmulatur paroxismus; externè, in carne musculosâ, nunc dolorem, nunc tumorem inducit; nec (quod mireris) intactos dimittit dentes; Ptyalismus nonnunquàm hoc morbo laborantes afficit, ut mercurio delibutas facilè crederes. Ab hujus sæculi *a* Hippocrate, Naturæ diligentissimo scrutatore, filum Ariadnes accipe, quo te ex hoc labyrintho liberes? En signum hujusce affectûs pathognomonicum? urina limpida, ad instar aquæ è rupibus scaturientis, quam statim post paroxismum reddit æger, & satis copiosè. An ideò hos affectus novos esse contendes? Quod antè *b* Recentiores quosdam Medicos à nullo fuerint exactè descripti. Idem dicendum de Syphilide. Quis hodiè ignorat varias & innumeras facies induere? per plures annos latere? & sub diversis larvis in lucem prodire? Tanta namque, sæpiùs est signorum obscuritas; ut mirum non sit, quòd à veteribus Medicis morbi essentia fuerit incognita. Hi enim hoc aut illud luis venereæ symptoma describsêre, alii alia detexêre; at ex iis inter se collatis, tantùm tota exurgit Syphilidis diagnosis, ut & ex signo pathognomonico solis Recentioribus cognito.

a Sydenham Dissertatio de affect. Hyster. p. 450. *b* Morton de Prothei form. febrium. Musgrave de arthrit. anomala. Sydenham de Hyster. affect.

SYPHILIS fracastorii, ἀπὸ τῆς σὺν, καὶ τῆς φιλίας, à porcæ seu meretricis amore, genuinum scortatorum flagellum, luxuriæ supplicium, & effrænatæ libidinis stipendium, omnium est morborum farrago & epitome: quidquid in aliis est horrendum, unà secùm trahit. Tam varias habet symptomatum facies, ut Protheum dixeris infidum virus & crudele: serpit inter lactentium suavia: non hospes tutus ab hospite, non puer à nutrice, nutrix ab alumno, non vir à conjuge, non conjux à marito. Sæpiùs impuræ mulieris congressu scortator, inquinatæ nutricis suctu puellus, ut nutrix infecti puelli, obstetrix parturientis, & vicissim parturiens obstetricis pollutæ contactu contrahunt luem. Cujus seminarii tanta vis & energia, ut reis partibus illæsis, insontes quandoquè plectantur. Quin & habet hanc dira lues malitiam, ut diù antè sentiri, quàm agnosci malit; venisque latitans intimis tacito cursu, mentitâque mansuetudine furtim atque silentio subrepens, ut ignis suppositus cineri doloso, remissionis vix patiens flamma, quàs acquisivit eundo vires statim exerit, ruit furibunda, virus passim diffundit; & partibus inhærens mordicùs brevi futuræ stragis notas exprimit. Hæc sunt imminentis affectûs signa certissima. Ab interiori penè turpis illuvies promanans, aut in exteriori cancrosum ulcus, vel bubo in inguine. His amat venerea lues stipari satellitibus. Jam sævientis, hæc solent esse consectaria. Cutis inficitur, duris, siccis, rotundisque pustulis, capillorum, barbæ, ciliorum, superciliorumque sequitur defluvium. His ubi accedunt sycoses in capite, tophi, exostoses, fici, marisæ, viris in ano, fœminis in pudendis, ulcera profunda, exedentia; Telephia, cancrosa; talibus, habes manifesta obfirmatæ luis indicia. Quàm tetra, quàm horrenda comitantur symptomata? nares malè habet ozœna, vox rauescit, tument tonsillæ, vexant tandèm *dolores nocturni* in capite, *medii*sque in artubus; (malorum omnium cumulus, signumque pathognomonicum,) fortè ut sacrorum Veneris non riteè noctu peractorum memoria refricetur. Sed undè tàm dira lues? qui casus rerum varii, quæ semina morbum attulêre? maligna-nè aëris qualitas, aut cœli vitium, ex magnâ Tyberis & fluminum redundantiâ, & putredine? nequaquàm. An ab astrorum influxu, aut obsidione Neapolitanâ? an ab Indiâ? fabula. Cùm è contrariò Indis Syphilidem miserit Europa. Undè igitur? Quò rem deducam, audi. Ab impurissimarum mulierum congressu promiscuo. Ex seminum multitudine, varietate, & corruptione. Causam habes antecedentem Veteribus incognitam: hunc ergo morbum, antiquum dixeris, cujus primaria, & unica causa sit antiquissima, scortatio nempè turpis & vaga, quæ semper fuit, & cujus omnia symptomata fuerunt ab Antiquis declarata. Ne credas igitur inanem esse & vanæ eruditioni nimiùm indulgentis conjecturam. Veritas est omnis ævi comprobata Historicorum, Poëtarum, & Medicorum observationibus.

EVOLVAS Veterum, tùm Græcorum, tùm Latinorum Libros, ibi Syphilidem reperies, aut Syphilidis signa certissimi. Quid enim aliud est *a* Luciani, *Zesbius Morbus?* quid Horatii *Campanus?*

a Lucian. in pseudo-Logista.

b Campanum in Morbum, in faciem permulta jocatus.

b Horat. Satyr. v. 61.

Cùm Capuæ, teste Valerio Maximo, *Veneris usus esset lascivior.* De hujus Morbi contagio *c* Martialem audi.

c L. 7, Epig. 72.

Ficosa est uxor, ficosus & ipse maritus: *Nec Dispensator, nec villicus ulcere turpi*, &c.
Filia ficosa est, & gener atque nepos:

Unde patet contagiosam hanc luem in universam familiam irrepsisse: quin & irrepserat in Cleopatræ comitatum; hinc *d* Horatius:

d L. 1, Od. 31.

Regina dementes ruinas, *Contaminato cum grege turpium*
Funus & Imperio parabat *Morbo virorum.*

De alio hujusce Morbi symptomate turpem concubitum subsequente loquitur *e* Juvenalis:

e Satyr. 11.

. . . . . *sed podice lævi*
Cæduntur tumidæ, Medico ridente, marisæ.

Cur risum, amabo, movebant Medico, nisi quòd noverat causam ulceris esse turpitudinem, & sceleratam obscœnitatem? Quin & tantus fuit hujus fœdi contagii horror apud Priscos, ut *quidam, in* f *Apuleio, sæpiùs sibi mortem suâ conscisceve manu voluerit, priùsquam inquinatæ uxoris contagio macularetur.* Et infrà. *Mercator*, inquit, *ad Cauponariam divertebat: illa, urigine percita, illum cubili applicans suo, statim ut cum ista aquievit, ab unico congressu pestilentem & annosam contraxit affectionem.* Quid ergo? si non Venerea lues. Nonne Syphilis erat illud morbi genus quo g pulcher Claudii filius, *perdito amore vulgatissimæ meretricis infamis, erubescendo morbi genere consumptus fuit: abdomine enim avidè devorato, fœdæ ac sordidæ intemperantiæ spiritum reddidit.* Hoc pudendo laborasse Morbo Romanos Imperatores mollitie & lascivià diffluentes, quis negaverit? Quare authore Antonio Musâ Medico, *Octavianus* h *Cæsar sæpiùs unctus fuit, sudavit ad flammam, deinde aquâ perfusus gelidâ*, nisi propter contumacia hujus luis symptomata. Nec disparem à socero nactus est *i* Tiberius fortem: *Ipsi corporis habitus pudori fuit; quippe erat incurvæ proceritas, nudus capillo vertex, ulcerosa facies, ac plerumque medicaminibus interlinctæ.* Quem denique fugit *k* Galerium Imperatorem violentas sibi manus intulisse, *propter ortum circà pudenda bubonem, & totum libidinis instrumenti putrefactionem:* Nonne Syphilis? Sed heu! non tantùm culpam pœna premit comes, & omni libidinum genere deturpatos exagitat illa ferina lues; quin & Pios quoque tentavit: sic Job, cui *nullus similis in terra*, hacce mali labe fuit perculsus à Satana. Sed ne hæc omnia mera præjudicia putes hominis antiquitati plus æquò faventis, audi Medicos, audi Hippocratem, audi & *l* Mixobarbaros: certè Syphilidis omnia symptomata descripta reperies ante Neapolitanam Expeditionem.

f In asini aurei prima & decima metamorphosi. *g* Val. Maxim. l. 3. *h* Sueton. in Vita Octavii. *i* Tacit. Annal. l. 4. *k* Sigonii, l. 11. Imper. Occid. *l.* Guillel. de Saliceto. Gordonius. Guido de Cauliaco. Valescus de Tharanta.

VERITAS tantis fulcita Historicorum, Poëtarum & Medicorum observationibus; curationis etiam & remediorum similitudine stabilitur. Quid referam? apud Arabes, ad Lepræ, Scabiei, Elephantiasis, & ad Mentagræ morbos, non modò balnea, oleosas frictiones, sed & etiam sudationes ad solem, & hydrargirum fuisse usurpatum. *a* Mentagra autem, aut Lichen Græcorum, à Mentula primitùs affecta sic dicta, quid aliud est, quàm Gallicus aut Neapolitanus morbus, aut Hispanica scabies? Quin & Empyrici quidam *b* à Psoræ curatione, Mercurium ad luis Venereæ curationem tanto successu per analogiam & similitudinem transtulêre, ut deinceps Hydrargirum pro Alexipharmaco vero & unico, his præsertim frigidis in regionibus sit habitum. Odi namque, hac in nostra Gallia, fabulosas esurientium pollicitationes, qui contumacissimum hunc morbum Sudatiunculis extirpaturos se promittunt. Apage tot Artis Medicastros, qui famosa fumosaque prædicant decocta Guaiaci, Sarsæ parillæ, aut radicis Sinarum, hoc tantùm nomine proficua, quòd non morbum; sed morbi opinionem adimunt, & sanguinem jam torridum incendunt magis: Procul hinc tot ægrorum tortores, potiùsquam Medici, qui magnâ suâ prædâ titionum tristi ministerio miseros excruciant & urunt. Inspice exorientem ex æstuario homuncionem, ut solem è crudis nebulis pallidum, pectus tabulatum, cute pumice sicciori circumtensum, per quam si rimeris, nil nisi pulverem & scobem pro sanguine reperies in venis. Sit ergo potiùs sacra Syphilide infectis anchora Mercurius. Hæc una salutis via: ab hoc uno vinci se patietur superbissima lues, litu, non suffitu celebrato, præmissis purgantibus, balneis, venæ sectionibus. His rectè peractis, dexter erit Mercurius: naturâ namque protheus, mineralium, metallorumque Thaumaturgus, liquor non madefaciens, aqua non humectans, solus est peccatorum delicatiorum castigator egregius. Solus sapienter adhibitus, tùm divisibilitate summâ, tùm figurâ sphericâ cuti affricatus, moxque fero sanguinis permixtus, tophos, exostoses, concreta solvet, emolliet, dissipabit, luemque totam ptyalismo fugabit è corpore. Cùm igitur, tùm & Antiquorum authoritate, tùm & Medicorum observationibus apertè pateat Syphilidis omnia symptomata à Veteribus fuisse descripta, eâdemque curandi ratione debellata, hæc vera & benè deducta erit conclusio:

a Cornarius. *b* Jacob. Carpensis, primus salivationis autor.

Ergo Morbus antiquus Syphilis.

De signis Symptomatis, causis, origine, & antiquitate Syphilidis legantur SCRIPTURÆ SACRÆ.

Exod. cap. IX. v. 10. In plaga Ægypti sexta erant ex ore Apionis in genitalibus rubercula, & bubones.
Job de doloribus nocturnis loquitur cap. VII. v. 4. *Si dormiero, dicam: Quando consurgam? Et rursùm expectabo vesperam, & replebor doloribus.*
De raucedine vocis, cap. III. v. 4. *Tanquam inundantes aquæ, ita rugitus mei.*
De fœtore oris, cap. XIX. v. 17. *Halitum meum exhorruit uxor mea.*
De morbo S. Job, vide ejus Commentatores: Omnes uno ore pronuntiant lue Venereâ fuisse fœdatum: ut,
Pineda Hispanus è Societate Jesu, cap. 2, 6, 78. tom. 1, pag. 137.

Bolducius Franciscanus, cap. XXX. v. 17, pag. 290.
Cyprianus Cistercienfis, edit. complut. ann. 1582.
Vatablus Hebraïcarum Litterarum Professor Regius, cap. 2 annotat. in Job.
Et nuperrimè Calmetus, maximum Ordinis Benedictinorum ornamentum, in eleganti & eruditissima dissertatione de morbo Job, pag. 24.
Universalem luis Venereæ causam recensuerunt Sophar & Salomon, cap. XXVII. sic loquitur: *Ossa impii implebuntur vitiis adolescentiæ, & cum eo in pulvere dormient.* Et Salomon Ecclesiast. cap. 19, v. 3 ex versione Hebraïc. *Qui se jungit fornicariis, erit nequam: caries & vermes hæreditabunt illum.*

Medicorum Græcorum & Latinorum Principes.

Hyppocrates l. III. Epidem. sect. III. illic menti, capitisque glabrities carnium, & ossium lapsus, voces vitiatæ, ora ulcere fervido affecta, in pudendis tubercula, tubercula foris & intùs circà inguina, fluxiones circà pudenda multæ cum doloribus.
Galenus de sicis, sordidis ulceribus & pustulis scripsit cap. V de composit. Medicament. de bubonibus in inguine, de simpl. Medicament. Facult. & cap. II. de sympt. causis, & cap. VI de locis affectis, de gonorrhea prolixè disputat.
Celsus, de actochordone loquitur l. V. sect. 14, & l. 6, cap. III, de Sycosi, præposteram Venerem subsequentibus.
Arabes scripserunt de cutatione Scabiei, & *Saphari*, per argentum vivum. Mesue, l. III. Secret. Medicament. cap. III.
Linimentum sanans antiquam *Saphari*, est: Lithargiri, æris & argenti vivi partem unam, aceti, & olei myrtini quantum sufficit, deindè argentum vivum sic conterendo cum eis commisce.
Avicenna, l. IV. *fen.* VII. tract. III.

Argentum vivum extinctum, & storax liquida, & oleum rosarum aggregentur, & administrentur: ex iis liniatur æger.
Mixobarbari, qui ante Neapolitanam Expeditionem scripserunt.
Guillelmus de Saliceto, ann. 1270, cap. 48 Chirurg. sic præfatur de pustulis albis, scissuris & corruptionibus, quæ fiunt in virga, & circà præputium, propter coitum cum impudere tice, vel fœda, vel alia de causa.
Gordonius ann. 1305, cap. V. de passionibus virgæ, inter causas externas concubitum cum muliere immunda numerat:
Guido de Cauliaco, cap. VI. sexti Tractatûs de calefactione & fœditate virgæ, propter decubitum cum muliere fœtida.
Philonium, seu Valescus de Tharanta, ann. 1418, cap. de ulceribus & pustulis virgæ. Causæ, *impotè*, sunt vulnus, vel coïtus cum immunda cancrosa, vel fœtida muliere. Et paulò infrà
Juvenes coeunt cum fœmina habente ulcus in matrice, & cum sua contagiositate inficiunt virgam, & in ea facit ulcus.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes-Franciscus Couthier.
M. Joannes-Baptista Mongin, Medicus Regis ordinarius.
M. Alexander le François.

M. Michael-Procope Couteaux.
M. Joannes-Claudius-Adrianus Helvetius, Medicus Regis Ordinarius, & è Regia scientiarum Academia.
M. Salvator Cluisard.

M. Claudius Guerin.
M. Matthæus Thuillier.
M. Guido Crescentius Fagon, antiquior Schola Magister, Regi defuncto à sanctioribus Consiliis, ejus Medico Primario, Horti Regii supremus Moderator, Academiæ Scientiarum Socius honorarius.

Proponebat Parisiis JOANNES-FRANCISCUS LEAULTÉ, Parisinus, Baccalaureus Medicus, Ann. R. S. H. 1717.